

## CONCIO IV. AUCTARII.

cap. XXVI. aliisque plurimi. Quale spectaculum, auditores, videre imperatricem, filiam regis in rogo collocatam comburi. Discite quantum malum sit peccatum, nec miremur amplius, si Deus id igne puniat, quando et homines ita plectunt sibi etiam conjunctissimos, maritus uxorem. Erant nunc uxores illarum, quae juxta maritos suos alunt adamantque juvenes, et quid mereantur, indicent. Viderint mariti, qui tales patiuntur. Dux quidam Oppaviae, item juvenem cum nupta sua ex Lithuania pensili lectica et molli in lecto ad ductum ubi deprehendit, canibus laniandum objicere voluit: prohibitus tamen ab amicis, confessus abire unde venerat, jussit, *En. Sylv. lib. IV. comment.*

Hi sunt, quos promisi, anseres, auditores. Produximus autem; non ut inde quid gustetis (abstine hoc ab omnibus), sed ut, tetro eorum nidore percepto, toto pectore abhorreatis, imo eos et horum similes in eternum abjuretis.

## CONCIO IV.

SANCTUS MARTINUS QUO JURE MARTYR APPELLARI POSSIT.

I. Quia in voto martyr fuit. — II. Quia multas persecutions sustinuit. — III. Quia vita austerritate seipsum affligebat. — IV. Quia in dignitate episcopali vitam egit pauperem.

## THEMA.

*Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint.*  
Luc. XI.

Pulchrum nobis lumen accendit hodie Ecclesia, dum de S. Martino in vesperis cantat: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmarum tamen martyrii non amisit.* Quibus sane verbis Martinum martyribus accensit; ideoque in matutino ejus psalmos de martyribus, non de confessoribus, legit. Consentit cum Ecclesia Sanctus Bernardus, qui in serm. de Sancto Martino appellat eum *martyrem devotissimam voluntatis*. Pulchrum, inquam, hoc lumen est, posse etiam fieri, ut confessor aliquis, qui pro Christo et justitia sanguinem non fundit, possit dici martyr et martyrii palma donari. Sed videndum, ne lumen hoc, quod accenditur nobis, tenebrae sint: videndum, inquam, quo jure et ratione S. Martinus martyr appellari, martyrumque albo adnumerari possit; quod hic faciemus.

I. Sic vocari potest, quia votum seu voluntatem ac desiderium martyrii habuit, cui se non semel sed multoties obtulit, nec aliud ei defuit

nisi persecutoris gladius. Scimus voluntatem Abrahæ, qua paratum se exhibuit ad immolandum filium, reputatam esse a Deo pro opere: *Quia fecisti hanc rem, inquit, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli,* Genesis XXII. Pepercit sane Abraham filio, quia non immolavit: verum quia ad immolandum eum jam se accinxerat, recte non pepercisse, sed immolasse eum dicitur, nec minorem mercedem reportavit, quam si actu eum mactasset. Jam vero quoties Martinus morti se objectit pro amore Christi? Impio Juliano, pusillanimitatem sibi exprobanti, dixit, se crucis signo armatum, fore paratum ad per rumpendum hostium cuneum. Pinum arborem dæmonis cultui dedicatam pro conversione rusticorum, qui ejus hortatu, excisuros se illam dicebant, se casuram excipere vellet, stans intrepidus jam in se ruenter expectavit; tametsi signo crucis in adversam partem deflexit. In pago Heduorum, cum fanum idololatricum everteret: «Furens rusticorum turba irruit in eum. Cumque unus, audacior ceteris, stricto eum gladio petret; rejecto pallio, nudam cervicem percussori præbuit. Nec cunctatus est ferire gentilis: sed cum dexteram altius extulisset; resupinus ruit, consternatusque divino metu, veniam precabatur.» Denique, Sulpitius, in epist. II. ad Aurelium diaconum, hæc de ipso Martino, sibi familiariter nota scribit: «Licit ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloria tamen martyris non carebit, quia voto atque virtutibus potuit esse martyr, et voluit. Quod si Neronianis Decianisque temporibus in illa quæ tunc extitit, dimicare congressione licuisset, testor Deum collati aitque terræ, sponte equuleum ascendisset, ultra se ignibus intulisset; Hebreisque pueris æquandus inter flammarum globos, media licet hymnum Domini in fornace cantasset.» Sic ille; addens, nec serram Isaiae futuram ipsi fuisse terribilem, gladium Pauli vero acceptabilem, etc. Itaque non unam sed plures mortes sustinuit, ut posset dicere cum apostolo: *In mortibus frequenter*, II. Corinth. XI. Quemadmodum enim Paulus non nisi unam pro Christo mortem actu sustinuit, plures tamen, quibus se obtulit, voluntate; ita et Martinus. Unde Sanctus Chrysostomus, homilia XI. in Gen. super illa Pauli verba ait: *Estne possibile, ut quis sape moriatur?* Etiam inquit, quamvis non mortis experientia, attamen moriendi proposito: et in id apostoli I. Corinth. XV. *Quotidie morior, hom. in Psalm. XCV. ait: Quomodo morieris, qui vivis?* Moriebar proposito, sed servatus sum gratia Dei. Pulchrum et salutare est hoc lumen, scire quod Deus voluntatem, quantum in

ipsa est, efficacem, accipiat et coronet pro opere. Unde bene quidam dixit: *Quidquid efficaciter vis, hoc erit.* Vicissim etiam cogitandum, in malis propositis solam voluntatem valere pro opere, nihilominus pena dignam. Agnovit hoc docente et redargente conscientia Ruben, cum dixit fratribus suis: *Numquid non dixit robis: Nolite peccare in puerum? Et non audistis me. En sanguis ejus exquiritur*, Gen. XLII. Sed quomodo sanguis quem non fuderunt? Quia, ut Sanctus Chrysostomus, hom. LXV. in Genes. ait: *Quantum ad propositum vestrum, occidistis: liceat enim non per gulam gladium transmiseritis, barbaris tamen viris eum vendidistis, et difficiliore ei servitutem excogitastis.* Notam puto historiam Guilielmi Tellii Uriensis Helveti, qui a præfecto Gissero jussus filio suo pomum de capite ejaculari; cum feliciter tetigisset pomum illæso filio, addidit, se, si filium læsisset, in altero jaculo ab ipso præfecto, non fuisse aberraturum. Prava hæc ejus voluntas, a præfecto intellecta, in vincula eum compedit, reum mortis factura, nisi is alia fortuna evasisset, Stumpsius, in chron. Helvet. Vident igitur homines ratam et deliberatam peccandi voluntatem valere et haberi pro opere: non videat id Deus? Quare nemo se decipiatur, quasi Deus voluntatem, sed opus tantum iudicio suo subjecturus sit. Hoc fecisti, quod facere voluisti.

II. Quia tot persecutions sustinuit et fortiter devicit, quot non pauci martyres; tametsi in iis non occubuit. Certe ob solam patientiam Sanctus Chrysostomus, homilia V. de patientia Job, Jobum martyrem appellat. Et hom. unica de S. Job: *Est præfecto magna gloria martyrum: sed nescio, utrum minor gloria fuit Sancto Jobo:* et hom. I. in II. ad Corinth *Quis est martyr, cui hic non possit æquari? Imo martyres innumeros hic unus æquat: denique, homil. XXV. ad populum: Nullis martyribus graviora passus est. Et illorum succedentium sibi nuntiorum voces omni plaga sævius percutiebant, et innumeris tortoribus acerbis vermium illorum ora eum undique corrodabant. Cui non itaque dignus hic sit martyri comparari? Innumeris equidem.* Sic ille. Jam vero Martini nostri patientiam audiamus ex Sancto Bernardo, serm. in ejus festo: «Cæterum persecutions, inquit, quas sustinuit propter justitiam, longum est numerare; quomodo apud Julianum Augustum in civitate Wangionum intrepidus, imo et illato terrore constantior, custodiæ mancipatus est, ut inermis postero die barbaris opponeretur: quomodo circa Alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit: quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus gravior insectatur, multisque appetitum injuriis tan-

dem de civitate turbavit: quomodo et alii prius et adversus sacerdotum perfidias acerim pugnans, suppliciis fuit affectus, publice virginis cæsus, inde quoque exire compulsus est, etc. *et* quomodo eum alter cum cultro ferire voluit; sed ferrum de manibus ejus elapsum, repente dispergit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem, etsi non semel effectu consummatæ passionis, sed toties martyr fuit affectu devotissime voluntatis.» Si Bernardus. His adde plagas, fustes et contumelias, quas a militibus quibusdam in itinere ob eorum equos, aspectu Martini (utpote vestitu horridi) pavefactos accepit in via publica, ut plantas cruentas et corpore laniatus in terram procumberet; quæ omnia Martinus summo silentio pertulit, ita ut percussores inde magis irritarentur. Taceo Brictium, ejus discipulum, qui eum contumelias saepe onerabat, et velut alter Judas vexabat; quem tamen ipse patientissime ferebat. Jam vero: *Non solum laniari et excarnificari, ait Sanctus Chrysostomus, in Psalm. CXXVII. sed etiam cum dolore impellit ad blasphemandum: toleranter potius ferre labore et nihil turpe et dishonestum dicere, facit martyrem.* Servit etiam nobis non mediocriter lumen hoc, quando intelligimus posse etiam nos martyrii palmam sine sanguine acquirere, modo in persecutionibus et tribulationibus nostris patientiam conservemus. Quantum hoc est miserorum solatium! Non possumus sanguine pro Christo dare, quando non est persecutor, sed possumus injuries patienter ferre et condonare: *Ferre vero contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione*, ait S. Gregorius. XXXV. in evang.

III. Quia vita austerritate et continuis mortificationibus seipsum insuper conficiebat et frangebat; quam vitæ austerritatem martyrio comparant ss. patres. Divus Ambrosius, serm. XX. in Psalm. CXVIII. ait: «Tentatus est spiritu fornicationis: sed veritus Christi futurum iudicium, temerandam mentis et corporis castimoniam non putasti: martyr es Christi. Tentatus es spiritu avaritiae, ut possessionem minoris invaderes, indefensæ viduae jura temerares; et tamen contemplatione coelestium præceptorum, opem magis ferendam, quam inferendam injuriam judicasti: testis es Christi: » et mox: «Tentatus es spiritu superbie; sed videns inopem atque egenum, pia mente compassus es, humilitatem magis quam arrogantiam dilexisti; testis es Christi.» Sanctus Bernardus, serm. XXX. in Cant. «Genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.»

et serm. oct. paschæ: « Est martyrii genus et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione: » accedit Sanctus Augustinus, serm. XLVI. de sanctis: « Absque injuria sanctorum, ait, in persecutionibus defunctorum, dicere liceat carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiae restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. » Jam vero Sanctus Martinus qua non afflictione maceravit imprimis et subegit carnem suam? Victus ei parcissimus, creberima jejunia: in Gallinaria insula radicibus tautum vicitabat. Vestitus ejus asper et horridus, ita ut equos terneret. In ejus, quod extruxit, monasterio: Cibum una omnes post horam jejunii accipiebant. Vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegerit. Plerique camelorum setis vestiebant: molitor ibi habitus pro crimine erat. Lectus ejus nuda humus, ad summum stramine instrata. Quod cum aliquando ignem concepisset, et ipse ostium ad fugam capessendam aperire non posset, mediis flammis totus ad Dominum conversus incubuit: sicut eas sensit rorantes, quas prius senserat urentes. « Apud Parisios, dum portam civitatis illius, magnis secum turbis euntibus, introiret, leprosum mirabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est. » Denique: « Tantam adversus omnes patientiam assumpserat, ut cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis laederetur; nec propter id eos unquam a loco amoverit, aut sua, quantum in ipso fuit, charitate repulerit. Nemo unquam illum vidit iratum, nemo commotum, nemo morentem, nemo ridentem: unus idemque semper, etc. » Ita Sulpitius. Ecce vobis novum lumen. Possumus et nos ista, si volumus, ratione martyres evadere; si contra carnem propriam, contra passiones, mundi et dæmonis tentamenta strenue pugnaverimus. Quam ob causam Sanctus Hieronymus, S. Paulam, quæ ex nobilissima matrona Romana amore Christi pauper facta, asperam in Bethleem vitam egit, martyrem vocat: « Quo magis gaudias, (inquit ad filiam ejus Eustochium, in vita vulnæ) mater tua longe martyrio coronata est: non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et violis plectitur, ista de liliis. » Hoc ergo dico, (ait S. Augustinus, serm. LX. ad fratn. in eremo) quia omni tempore sunt et persecutiones: » et supra: « Omnia quæ in mundo sunt, persecuntur Christianum. Miramur si nos persecuntur alii: si Christo servire voluerimus, et parentes nostri nos persecutur. Qui cumque dissimilis nostri est, persecutus nos est odio nos habet. Miramur si alii nos persecuntur

ipsius corpus nostrum nos persecutur. Si comedero paululum et corpusculum meum fuerit robustum, sanitas corporis mei persecutus animam meam. Quocumque me vertero, persecutus mihi est. Si videro mulierem, oculus meus per sequitur me; cupit enim interficere animam meam: si video divitias, si aurum, si argentum si possessionem, si delicias corporales, si pulchra vestimenta; quocumque video, persecutus animam meam. Non putemus tantum in effusione sanguinis esse martyrum: semper martyrum est Christianis. » Sic ille.

IV. Quia in dignitate episcopali vitam pauperem et religiosam duxit, in monasterio a se ædificato et lignea ejus cellula, vili et aspero vestitu; nihil habens proprium, degens inter fratres monachos, quasi unus ex illis: xenium aut munus, nullum accepit: centum argenti libras dono sibi oblatas, priusquam monasterii limites attingerent, captiis redimendis deputavit, ut in ejus vita Sulpitius. Jam vero Sanctus Bernardus, in sermone I. de omnibus sanctis ita scribit: « Quod sibi vult, quod eadem promissio (videlicet quoniam ipsorum est regnum celorum) facta est pauperibus et martyribus, nisi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria est? Quid mirabilius, aut quod martyrum gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas afferunt mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? Annon merito coronabitur qui sic certaverit, mundum subjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et quod gloriostius est, de ipso triumphans et crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique, propterea pauperibus pariter et martyribus regnum celorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione precipitur. » In musica septem discrimina sunt vocum; quarum prima repetitur in octava, sed altiore vel humiliore, ut norunt musici. Prima et profundissima est paupertas, qualis erat Macedonia, quam apostolus, II. Corinth. VIII. vocat *alissimum* (*Græce profundissimam*); quia usque ad fundum exhausterant se, ut succurrente pauperibus Christianis. Illa ergo deducta in octavam, fit altissima, ut etiam sanguinem pro Christo det: interim tamen eundem cum paupertate tenorem refert, similemque mercedem. Atque ut omnes tenorum varietates videamus; primi, pauperes spiritu, dant Deo pedes, primam corporis partem, ad portandum corporis molem, ad ingrediendum lutum et gerendas sordes: secundi, mites, dant dorsum ad ferendas plagas: tertii, qui lugent, dant oculos ad fletum et compas-

sionem: quarti, esurientes, dant inanem stomachum: quinti, misericordes dant manus ad elargiendum: sexti, mundi corde, dant cormendum, ab omni peccati labe strenue defensum ac servatum: septimi, pacifici, dant os seu linguam ad conciliandam pacem et concordiam inter dissidentes: qui demum octavo loco, persecutionem et martyrium patiuntur, dant Deo caput seu vitam, quam quidem pedes, hoc est, pauperes, non simul et semel uti martyres, sed sensim diuturno labore, contemptu et afflictione Deo impendunt. Habent igitur pauperes spiritu, immisam a Deo libenter ac gaudenter amplectantur, expeditam ad coronas martyrum viam. Ferant tantum magno animo egestatem suam, et martyres habebuntur, quasi proximi eorum agnati: contemptus enim rerum omnium possessarum videtur æquivalere contemptui vitae et sanguinis.

Denique, S. Bernadus in sententiis ait: *Martyrum sine sanguine triplex est. Parcitas in ubertate, quam habuit David et Job: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua: castitas in juventute, qua usus est Joseph in Ægypto.* Si quis ergo nec votum ac desiderium habet martyrii, nec persecutions magnas sustinet, nec jejuniis ac plagiis confidere corpus potest, nec denique paupertatem colere; querat sibi viam ad coronam martyrum, e tribus istis modis; sobrie et temperanter vivat in mensis opiparis; tribuat amanter et hilariter in sua inopia; servet castitatem in ferventi æstate; et proximus erit martyribus.

Jam vero martyrem esse et appellari tanta gloria est ut vel angeli in cœlo, si corpora haberent, eam invidere hominibus possent. Permagno olim æstimabatur gaudere jure civitatis Rom. adeoque civem Rom. appellari: quique tales natu non erant, multa saepè pecunia dignitatem illam sibi compararunt; uti centurio ille, qui Paulo dixit, Act. XXII. *Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum.* Habuit hæc civilitas aliquot privilegia, sed quam vilia et exigua! Posse ad honores et magistratus gerendos evehi; sed per quot pericula ad quantum periculum! Post admissum crimen non posse plecti cruce et verberibus! Numquid et infamia carere? At vero concievit esse martyrum, qui pro honore Christi usque ad sanguinem decerpunt, tanta gloria est, ut admirantur eam angeloi, participare vero nequeant. Quare qui hanc dignitatem suo sibi sanguine non potest comparare, ita ut proprie dictus et quasi natus martyr appelletur; conetur eam aliis modis, quos enumeravi, consequi, quantumvis multa summa persecutionum, pugnarum, mortificationum, eleemosynarum, desideriorum, etc. ut

ita martyrum concivis et collega in cœlo esse mereatur.

## CONCIO V.

## COELUM QUOMODO ASPICIENDUM.

- I. Velut mirificum Dei opus. — II. Velut penum nostrum. — III. Velut patriam nostram. — IV. Velut asylum.

## THEMA.

*Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Matth. VI.

Non video qua in re melius S. Martinus comparari cum ansere queat, quam in eo, quod quemadmodum anser subinde cœlum altero intuetur oculo et quodammodo demiratur; ita S. Martinus oculis in cœlum semper intentus erat, ita ut a quibusdam malevolis *suspectus cœli* appellatur, quemadmodum et a discipulo suo Brictio querentibus Martinum, demonstratus est non alio, quam indicio hominis deliri cœlum intuentis. Id quod etiam moriens facere non intermisit. Qua in re utique laudandus est, nec dubitandum quin in amore celestis patriæ ipsiusque Dei fecerit. Jam vero multi quidem Christianorum colum subinde aspiciunt, sed non ut Martinus. Alii enim ut siderum cursum observant, ut astronomi; alii ut tempestatum conjecturam faciant, velut agricolæ; alii ut horam diei discant, uti nos passim. Sed aliud est aspectus cœli, quem nos S. Martinus et ss. litteræ docent, nosque hic aperimus.

I. Cœlum aspicere nos decet velut mirificum Dei opus, ex quo summam architecti summi virtutem et majestatem indagare possumus, juxta id apostoli ad Rom. I. *Invisibilia Dei per ea quæ facia sunt intellecta conspiciuntur:* id quod Psal. VIII. David fecit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Quoniam videbo celos tuos, opera digitorum tuorum, etc. *Celos tuos,* ait, quod ipsius architectus nemo aliis nisi ipse Deus esse possit, *opera digitorum;* quia ea summa facilitate et subtilitate fecit: (quæ enim digitis flunt, subtiliora sunt, quam quæ manu et brachio; summa item consonantia et harmonia quasi opus organicum). Cœli vero enarrant gloriam Dei, primo, ob naturam suam incorruptibilem; secundo, ob immensam magnitudinem; tertio, ob rotunditatem perfectissimam; quarto, ob motum celerrimum, perpetuum, ordinatissimum; quinto, ob eorum varietatem mire cohærentem; sexto, ob luciditatem et ornatum; septimo, ob miram efficacitatem et operationem in sublunaria; octavo, ob eorum motores angelos. Quæ omnia, si quid

Mihi, Deum ejus opificem admiranda sapientia, potentia, honestate præditum demonstrant; ut inde eum agnoscere, admirari, colere, laudare, timere et amare super omnia debeamus. Ad hoc enim homo erectus a Deo creatus est, ut in celo, velut divino quadam libro, legat et agnoscat suum creatorem; quod vel ethnici observarunt, ati Ovidius canens: *Os homini sublime dedit, cælumque tueri jussit.* Empedocles cur viveret, rogatus: *Ut cælum aspiciam, ait, tolle cælum, et nullus ero.* Quare qui hoc nunquam faciunt, non tam homines quam bestiae videntur. Neque tamen sicut Empedocles dumtaxat id aspicere debemus, at ibi velut in pictura hæreamus; sed ut inde creatorem agnoscamus, colamus et amenemus. Unde Augustinus, I. I. conf. *Cælum et terra clamant ut amenemus.*

II. Velut penum nostrum, unde alimenta nostra depromunt nobis. Ob hanc causam, ni fallor, Christus Dominus, Marci VI. pasturus populum quinque panibus, cum prius interrogasset Philippum: *Unde ememus panes?* mox, quasi penum ostendens, aspergit in cælum, quod inde velut e penum depromendus sit panis noster, mediante solis et pluviarum ope; quæ duo idcirco, velut magna Dei beneficia etiam super injustos effusa, commendat Christus Matth. V. dicens: *Solem suum oriri facit, et pluit super justos et injustos:* *solem suum vocat, quia absolute nobis non debetur.* Et quid si ad tempus eum nobis subtraheret? Quid si pluvias, uti olim tempore Eliæ ubi præ fame et penuria pascorum ipse rex Achab cum suis exire ad quærenda pascua coactus fuit) ad tres annos cum dimidio suspenderet, adeoque cælum velut penum, ut loquitur ipse Christus, Lucæ IV. *Clauderet?* Idcirco Ecclesia quater in anno attollit ad Deum oculos ac manus in quatuor temporibus, petens ab eo in æstate frumentum, autumno vinum, hieme oleum, vere herbas, denique et arborum fructus. Id quod omnes etiam et singulos, exemplo Christi, facere decet, præsertim ante et post mensam: veluti catellos dominorum desfixos habent oculos, cibum præstolantes. Quod qui non faciunt, porci appellantur a Sancto Chrysostomo, homilia LXXXIII. in Matth. qui post cibum mensam calcibus evertunt, et glandibus vescuntur; nunquam tamen oculos ad arborem, a qua gignuntur et decidunt, attollunt. De Ægyptis scribit Seneca, lib. IV. nat. quæst. capite II. *Nemo aratorum cælum aspicit,* quia scilicet non de cælo pluvias, quæ ibi raræ et modicæ valde, sed de Nili tantum inundatione irrigationem agrorum suorum expectant; cum tamen illam ipsam quoque Nili acretionem cælo adscribere deberent. Ita adamassim ingratiali immundas et inf-

riores tantum causas suæ sustentationis observant, ad cælum et Deum nunquam fere oculos attollunt: agris et vineis suis, culinæ et cellæ suæ subscribunt fructus inde perceptos, vel etiam propriæ industriae; sicut osculantur manum suam contra id Job: *Si osculatus sum manum meam!* capite XXXI. Et immolant sagenæ suæ, Habac. I. quasi diceret: *Manus nostra excelsa et non Dominus, fecit hæc omnia,* Deut. XXXII.

III. Velut patriam nostram; non enim pro anseribus cælum extructum esse dici solet. Unde Paulus ad Philip. III. ait: *Municipatus noster, ut e Græco vertit Tertullianus, in cælis est.* Eo spectasse videtur Christus, cum Marci VII. sanitatus surdum et mutum, expuit in terram, et: *Suspiciens in cælum, ingemuit.* Causam dat Euthymius, quod id fecerit misertus naturæ humanæ, quæ ob peccati transgressionem toti infirmitatibus et miseriis in hac terra subjaceret. Itaque exponendo in terram, videtur eam execrari velut ergastulum miseriarum: suspiciens in cælum, commendat nobis celestem patriam, et ingemiscit, quod adhuc amantes hujus exilii ad cælum non aspiremus. Ita Sanctus Martinus, qui et vivens verbo et moriens continuo sursum aspergit, nolens converti ad latum, ut cælum potius, quo tendebat, quam terram præ oculis haberet. Ita quoque sanctus noster pater Ignatius, cælum subinde aspiciens, dicebat: *Heu quam sordet telus, cum cælum aspicio!* Quin et mater septem Macchabæorum ad natu minimum loquens, sic eum animat ad mortem: *Pelo ate, nate, ut aspicias ad cælum et terram* (illud scilicet desiderando, hanc spernendo): *ita fiet, ut non timeas carnificem istum,* II. Macch. VII. De Daniele legimus, Dan. VI. eum in captivitate Babylonica detentum ter in die, apertis fenestris, non versus Babylonem, sed versus Jerusalem flexis genibus orasse. Sic nimur et nos non ad hujus terræ carcerem, sed ad celestem Jerusalem sèpius aspicere et aspirare decet cuiuspius operis ter in die faciendi admonet nos Ecclesia trino orationis pulsu, matutino, meridiano, vespertino.

At vero non omnes cum Daniele cælum cogitant et Jerusalem; sed in terra potius remanere desiderant, cælumque sibi in terram stulte commutant: quemadmodum et Judei multi in Babylone jam domicilio posito remanere, sibi que principem nomine *Rohe haggilus*, id est, *principem exulum* (ut Salianus refert) eligere, quam ad patriam terram redire maluerunt; similes duobus illis fratribus Paduanis de familia Liminæ (apud Bernardin. Sacerdonum, libro III. descript. urb. Pad.) pro cælo imaginario frustra dimicantes. Sic enim mundani pro cælo prata, pro stellis

boves desiderant et pro iis litigant, nec tamen quod contendunt acquirunt, atque ita cælum simul ac terram perdunt.

IV. Velut asylum in tribulationibus nostris. Hac intentione S. Stephanus inter lapides intendit in cælum. Eadem casta illa Susanna a duobus inquis senibus falso accusata et ad supplicium jam ducta flens suspetit in cælum, quia fiduciam habebat in Domino; moxque Deus misit Daniel, qui ejus innocentiam tutatus est. Habemus et nos magnopere cur hoc tempore ad cælum suspiciamus et gemamus, videntes Christi Ecclesiam in his terræ partibus abduci ab hæreticis ad macellum, vastari, mactari, spoliari, fugari. Nos ergo saltem una cum ipsa aspiciamus in cælum, et *Dei auxilium pro ejus ac nostra liberatione imploremus.* Irascebatur Daniel, quod nemo Judæorum Susannæ causam ageret: *Sic fatui filii Israel?* ait. Et quis non jure irascatur nobis, si in tanta afflictione pro matre nostra non stemus neque oremus? *Sic stulti filii Israel?* Sic stupidi Christiani? Oremus ergo Deum, ut mittat Daniel, qui consilio mittat Martinum aliquem, qui bellicositate sua eripiat Susannam e manibus iniquorum: *In nobis quidem* (ait Josa-

phat rex in simili periculo) *non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere,* quæ irruit super nos: sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Factumque, ut sine pugna præmissis exercitu cantribus, qui Dei laudes canerent, vincerent Hebraï, hostibus semetipsos mutua cæde consumentibus, II. Par. XX. Quando ergo nos in pari periculo versamur, quid superest, nisi ut oculos ad Deum dirigamus et oremus? Sane cum vel una domus in civitate ardet, omnes confluunt, et opem restinguendo incendio conferunt; alius aquam, alius vascula, alius scalas, uncos alius adfert, quia ab una domo periculum imminet pluribus. Cur non magis succurrimus reipublicæ nostræ christiane, maxime cum immineant etiam nobis clades? Ergo unusquisque saltem privatam suam conferat opem, offerat Deo pro illa calamitate preces, missas, eleemosynas, communiones aliaque sua opera bona: *Ut, ita, sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus Domino in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris,* Luc. I.